



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XLIV. Gregorii Papae I. Ad Rvsticianam Patriciam. Reprehendit
eam a monte Sina propere rediisse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

tur, si res defuerint, quæ possint eidem debito addici. Creditores ergo suos, ut asserit, ad octoginta solidos consentire possibile est. Sed quia multum est ut a nihil habente homine octoginta solidos petant, sexaginta solidos per notarium tuum tibi transmisimus, ut cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris, rationem reddas, quia filium eius quem tenere dicuntur, secundum leges tenere non possunt. Et si potest fieri, ad aliquid minus quam nos dedimus condescendant. Et quidquid de eisdem sexaginta solidis remanserit, ipsi trade, ut cum filio suo exinde vivere valeat. Si autem nihil remanet, vel ad eandem summam debitum eius incidere stude, ut possit sibi libere postmodum laborare. Hoc tamen solerter age, ut acceptis solidis ei plenariam munitionem scripto faciant.

EPISTOLA XLIV.

GREGORII PAPÆ I.

AD RVSTICIANAM PATRICIAM.

Reprehendit eam a monte Sina prope rediisse.

Gregorius Rusticianæ patriciæ.

EXCELLENTIÆ vestræ scripta suscipiens, libenter agnovi qualiter ad montem Sina perrexerit. Sed, mihi credite, ego quoque voluisssem vobiscum ire, sed vobiscum minime redire. Quamvis mihi valde difficile sit credere, quia ad loca sancta fuistis, patres multos vidistis. Nam credo si vidissetis, tam celeriter ad Constantinopolitanam urbem redire minime poteratis. At postquam talis civitatis amor de corde vestro nullo modo recessit, suspicor quia excellentia vestra sancta quæ corporaliter vidit, ex corde minime attendit. Sed omnipotens Deus mentem vestram gratia suæ pietatis illustret, donet vobis sapere, & temporalia omnia quam sint fugitiua pensare; quia dum hæc loquimur, & tempus currit, & iudex superuenit, & mundum quem sponte volumus, ecce iam prope est, ut relinquamus inuiti. Domnum Apionem & domnam Eusebiam eorumque filias mea peto vice salutare. Domnam vero illam nutricem meam, quam mihi per literas commendatis, omnino diligo, & grauari in nullo volo. Sed tantis angustiis premimur, ut ab angariis atque oneribus hoc iam tempore nec nosmetipsos excusemus.

Concil. Tom. 13.

Ccc